



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi**

Cap. 3. An Regulares sint capaces Beneficiorum Curatorum etiam  
sæcularium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40922**

Clericus notoriè concubinarius in divinis officijs evitandus sit, neque licitè ab eo sacra audiantur. *c. nullus. & seq. d. 32.* non quidem, quòd ab eo Sacramenta non rectè conficiantur, cum quantumcunq; pollutus divina polluere non possit, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. *cap. vestra. 7. de cohab. Cler. & nul.* sed ut per populi contemptum ad pœnitentiam trahatur, & alijs peccandi licentia auferatur. Attamen etiam hic cum pluribus censet Barb. *Jur. Eccles. Un. lib. 1. c. 40. n. 44.* Extray. Martin. V. *ad evitanda.* prodesse fidelibus, ut non teneantur evitare concubinarium notorium ante denuntiationem vel actualem suspensionem Episcopi.

Quoad scientiam in Parocho requisitam, 16 optandum quidem foret, ut non nisi optimè instructi in Theologia & SS. Canonibus assumerentur: quia verò id in tenuioribus præsertim parochijs haud faciliè haberi potest; Ideò saltem in Parocho desideratur, ut sciat ea, quæ plebi sunt ad salutem necessaria, nempe ut sciat articulos Fidei, & Decalogum, & sufficienter sciat ea, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. *Sotus in 4. dist. 25. art. 4. Can. 3.*

### CAPUT III.

An Regulares sint capaces Beneficiorum Curatorum etià sæcularium.

#### SUMMARIÆ.

- I. Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda procedit in simplicibus.

H 5

2. Regre-

2. Regularis potest fieri Episcopus Ecclesie secularis.
3. Etiam Præpositus vel Decanus Ecclesie Collegiatae.
4. Vicarius quoque generalis Episcopi.
5. Etiam Parochus in Ecclesia seculari.
6. Quid observandum in promotione Regularium ad parochias.

**C**erta quidem Regula est, quod beneficia regularia regularibus & secularibus conferenda sint. cap. cum de beneficio. 5. de preb. in 6. Clem. 1. de suppl. negl. Præb. Eaque de beneficijs simplicibus, Canonicatibus Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum satis recepta est, ita ut similitum Religiosi sine dispensatione (extra unionem factam Monasterijs per Episcopum ut infra c. 4. n. 5.) incapaces censeantur, ut norant Barb. & DD. in c. super eo. de Regular.

Attamen quoad beneficia curata hæc regula non æquè præcedit. Nam imprimis, si beneficia habeant Curam fori externi, eorum capaces esse Regulares, † exinde manifestum redditur, quod Religiosus etiam possit eligi in Episcopum, quamvis Ecclesia sit secularis. per tex. expressum in Clem. 1. de elect. cap. nullus Religiosus. 28. & cap. si Abbatem. 36. eod. tit. in 6.

3 Idque complures extendant, ut Religiosus etiam possit eligi in Prælatum seu Præpositum aut Decanum Ecclesie Collegiatae secularis. Gl. in cap. 2. de statu mon. in v. parochiales. Abb. in c. quod DEI timorem. de statu mon. n. 5. & ibidem Zachar.

Zachar. q. 7. Grassis in aur. decis. p. 2. lib. 3. cap. 2.  
n. 1. Azor. Instit. mor. p. 1. lib. 12. cap. 16. q. 13.  
Lessius de l. & l. l. 2. c. 14. du. 12. n. 99. Sylv.  
v. Religio. 7. q. 4. & 6.

Vicarium quoque Episcopi generalem posse esse Religiosum cum licentia sui Prælati, dummodo sit natus legitimè (illegitimi enim per ingressum in Religionem legitimantur quidem quoad Ordines, sed non dignitates. c. 1. de filiis presb.) & habeat secum socium sui Ordinis, ex communi DD. sententia tradit Barba de off. Epif. alleg. 54. n. 12.

Quod si beneficia habeant solùm curam fori interni uti Ecclesiæ Parochiales, an tunc ad ea promoveri possint Regulares? Jam olim prolixè tractavit Gratianus in caus. 16. q. 1. ubi imprimis multas auctoritates pro sententia negativa adducit, quas deinde incipiendo à c. doctos. 21. per contrarias revellit, inter quas insigne est illud decretum Bonifacij Papæ relatum in cap. sunt nonnulli. 25. ead. causa 16. q. 1. in hæc verba: Sunt nonnulli nullo dogmate fulti audacissimè quidem zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & Deo vivunt, sacerdotalis officij potentia indignos neque pœnitentiam neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officij divinitus sibi injunctam potestatem, sed omnino labuntur. Neque enim B. Benedictus Monachorum Præceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos secularium negotiorum edixit exper-

tos fore tantummodo, quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis non solum Monachis sed etiam Canonicis maximopere imperatur. Nos verò tantorum Patrum instituti exemplis ( quibus periculosissimum est refragari ) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendi- que officium Deo operante digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari, & sane si cura fori externi multas curas & distractiones à vita religiosa habens annexas potest committi Religioso, vix apparet cur non etiam imò multò magis cura fori interni. Experientia quoque comprobatur, à fidelibus Laicis Sacramenta apud Religiosos multò libentius frequentari, de quorum spiritualitate & doctrina magis confidunt. In Concilio quoque Trid. sess. 23. de ref. cap. 15. & s. 25. de Reg. cap. 11. aperte supponitur Regulares posse sæcularibus in cura animarum præesse. Unde communis est DD. sententia Religiosos de jure generaliter capaces esse beneficiorum sæcularium curatorum. & ita ob favorem cura & utilitatem spiritualem animarum, esse exceptionem ab illa regula, quòd sæcularia beneficia tantum sæcularibus conferenda sint. per tex. Gl. & Pan. in cap. quod Dei timorem. 5. de statu Monach. Less. & Azor. dd. ll. Navar. de statu Monach. conf. 11. & 12. & plures alij quos refert Tamburin. de jure Abbatum. 3. disp. 9. q. 8. n. 4. Garc. de benef. p. 7. c. 10. n. 17. & arguitur ex Concil. Trid. sess. 14. de ref. cap. 12. ubi specialiter de Religiosis translatis ab uno

uno ordine ad alium decernitur, quod in Monasterio manere debeant, & omnium beneficiorum *secularium etiam Curatorum* incapaces sint: unde cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, rectè inferitur alios Religiosos non translatos beneficiorum *secularium Curatorum* capaces esse. Non obstat *cap. 2. de statu Mon.* quia ibi Concil. Later. tantum prohibet ne, singuli Monachi, id est, sine socio in Parochijs habitent, & sic magis pro nobis facit. Nec etiam *c. 1. de Capell. Mon.* quia ad evitandam juri correctionem explicari potest, vel de antiquo statu Monachorum, quando plerique erant Laici conversi, & pauci Sacerdotes, neque studijs eruditi, *c. ex multa. de voto.* & in perpetua clausura vivebant sicut Carthusiani: vel quod sine consensu Episcopi populus per Monachum regi non debeat, *Glos. in eod. cap. 1.*

Ratio autem est, quia utique non est incon- 6  
veniens, ut quod Religiosi per exercitia spiritua-  
lia in Monasterio didicerunt, de eodem etiam  
alios instruant, juxta illud *Matt. 5. Qui fecerit, &  
docuerit, hic magnus vocabitur in regno Caelorum.*  
& si teste Hieronymo in *c. sic vive. 26. & c. seq.*  
*16. q. 1. multo tempore discendum est, quod post-*  
*modum doceatur, ne prius Magister esse debeat*  
*quam discipulus.* eamque ob causam lata est san-  
ctio Conc. Trid. *s. 23. de ref. c. 11. & seqq. de*  
*interstitijs temporum.* bonis moribus & probitate  
ordinandi observandis, (neque enim intra qua-  
drantem anni intra quem hodie in Sacerdotes  
promo-

promoveri solent prius toti mundo immerfi tam facile relinquuntur mores sæculi & vitia, & experientia docet, quàm citò revertantur ad vomitum) sanè non parùm expectandum est à Religioso, circa doctrinam Christianam, consolationem fidelium, præsertim in mortis articulo, qui per multos annos à vitiis sæculi purgatus, nonnunquam à puero inter mera pietatis exercitia, ac sanctas meditationes enutritus est. Sunt quidem non pauci ex Recentioribus, qui dicunt, per quandam novam constitutionem Gregor. XIII. item per declarationem Cardinalium obtentum esse, ut Religiosi absque dispensatione sed Apost. non possint ad curata beneficia sæcularia promoveri, ut docet Garc. Sanch. & Gonzalez apud Tambur. *d. l.* sed idem Tamburin. in *d. q. 3. n. 11. & seqq.* dictam constitutionem Gregor. XIII. nunquam fuisse usu receptam testatur, cum post eam contrarium practicum & per Rotam decisum, atque per Cardinales declaratum fuerit.

- 7 Verùm generaliter circa promotionem Religiosorum ad Parochias tria sunt animadvertenda I. Ne ad Parochias exponantur illi, qui indisciplinatis moribus sunt, & in Monasterio contineri nequeunt, *qui enim domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesie Dei diligentiam habebit? 1. ad Tim. 3.* per tales enim, qui jam habita occasione *quâ data portantur*, scandalizantur Parochiani, Prælatorum conscientie onerantur, Monasteriorum & Religionis fama gravatur.

II. Ut

II. Ut ij, qui in Parochijs collocantur si fieri possit cum socio sui ordinis sint. c. 2. & s. de statu Monach. 3. ne in perpetuum ibidem relinquuntur, sed ne nimis secularibus curis & negotijs immergantur, quandoque pro renovatione spiritus, ad Monasterium revocentur, alio interim substituto. Non tamen ideo minus Religiosus erit Parochus, quod, sicut Clericus secularis, ipse vel ejus nomine Prælatus (in quem omnis Religiosi voluntas collata censetur) parochiam relignet. Optimus tex. in Clem. un. vers. premissa de suppl. neglig. Præl. ubi dicuntur constitui posse speciales Rectores Ecclesiarum & beneficiorum non ad mensam unitorum, qui possunt liberè ad claustrum revocari.

## CAPUT IV.

## De Vicarijs Parochialium Ecclesiarum.

## SUMMARIUM.

1. Vicarij alij perpetui, alij temporales.
2. Vicaria perpetua est beneficium.
3. Institutio authorizabilis potest prescriptione acquiri.
4. Quis possit erigere Vicarias.
5. Parochiales Ecclesie hodie prohibentur uniri. fallit, ut ibi.
6. Incorporatio antiqua prasumitur facta fuisse legitime.
7. Notabiles declarationes Concil. Trid. s. 7. c. 7. circa potestatem Episcoporum instituendi Vicarios perpetuos in Ecclesijs unitis.
8. Cu-